

dignos æterna memoria viros, quoties occasio ad
exercitium virtutis inducat. Et sanè cum in
mentem revoco felicem ætatem eam, annosque
numero, quos in patria transegi, cum Bono-
nienfes meos Legati potestate tibi traditos præ-
sentiã tuã beatos fecisti, Proconsulum Romano-
rum æquitatem & prudentiam à Livio, ceteris-
que Scriptoribus eloquentiæ coloribus depictam,
in Te veram solidamque contemplor; itaque No-
mini Tuo in dies obstringor, ut nulla gratior mihi
se offerre potuerit occasio, supra eam, quam nuper
à Palatinis Sociis accepi; sistendi scilicet librum
EMINENTIÆ TUÆ sociali nomine dicatum,
& letor diversos natione homines varia officii
ratione in unam venisse voluntatem; Palatinos
nempe ceteros Mediolanenses jure quodam civi-
tatis in optimum Concivem suum, me verò Bo-
noniensem jure Provinciarum, quòd ingentibus
beneficiis de me optimè meritum Patronum ob-
sequio colere desiderabam, publicoque testimonio
memoriam debiti profiteri. Accipe igitur, PRIN-
CEPS EMINENTISSIME, ingenio & labore
parata quæ offerimus munera, Tomum scilicet
Collectionis Rerum Italicarum: vetusta quidem
monumenta, sed quibus novum inseruimus præ-
clari Nominis Tui, quod ad posteros veniet, &
magnitudine rerum à Te gestarum, & officio no-
stro, quod ne dedigneris precamur, & facile tibi
persuadeas, non inutile: quippe si literis non
tradantur Heroum gesta, difficile transeunt ad
nepotes, & quas dignas Romanorum potentiã
in